



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

xvij. De natura, origine, & alijs ad absolutionem ad cautelam pertinentibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13883**

norma ibi, Nuar. in Man. c. 27. nu. 277. Conarr. in cap. Alma mater, part. 1. §. 7. num. 7. & §. 12. nu. 7. de sent. excom. lib. 6. Henricus lib. 13. de excom. cap. 29. §. 5. Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 1. ca. 22. §. 1. num. 16. & seq. Steph. Costa in d. c. solet, num. 46. de sent. excom. lib. 6. ¶ Vnde fit, ut per hoc quod quis petit absolui ad cautelam, nec videtur confiteri se esse excommunicatum, nec presumi potest vere excommunicatus; petens verò absolutionem simplicem ab excommunicatione, se excommunicatum esse fatetur, ut in l. Decem, & ibi Bart. mouet hanc questionem, nisi de verb. oblig. faciunt etiam que notantur in capit. Ad presentiam nostram, R. de appellat. & est optimus textus in cap. venerabilem & ibi Panorm. nu. 22. de elect. Innoc. in c. cum dilectus, colum. 3. de ordin. cognit. Steph. Costa, in c. Soter, num. 1. de sent. excom. lib. 6. Conar. in cap. Alma mater, part. 1. §. 7. nu. 7. vers. Quarta Conclusio, & §. 12. nu. 1. 6. & 7. de sent. excom. lib. 6. Ratio est, Quia petens absolutionem istam, ex humili corde ad cautelam & timorem anime salutem eam petisse videtur, propter dubium aliquod, quo eius animus vexatur, an sit excommunicatus, nec ne; & ideo ex hoc assumi non debet eiusdem petitio ad probationem, & confessionem quod vere excommunicatus sit.

## De natura, origine, & alijs ad absolutionem ad cautelam pertinentibus. Cap. XVII.

### S V M M A R I V M.

- 1 *Questiones variae circa absolutionem excommunicationis explicantur.*
- 2 *Absolutio ad Cautelam quidnam sit.*
- 3 *Absolutio ad cautelam quare dicta sit.*
- 4 *Absolutio ad cautelam, quanto, & a quo inuenta, & introducta sit.*
- 5 *Absolutio ad cautelam, a quibus sententijs, & censuris peti, & dari possit.*
- 6 *Absolutio ad cautelam, quare in generali interdictione loci concedi non debet.*
- 7 *Absolutio ad cautelam dari debet ad omnibus censuris, a iure, vel ab homine latis, quando est probabile dubium iuris, aut facti.*
- 8 *Absolutio ad cautelam peti potest, & dari debet, quotiescunque ex aliqua causa ipsius sententia nullitas allegatur.*
- 9 *Absolutio ad cautelam fieri debet, vocata a parte, ad cuius instantiam excommunicatio lata fuit.*
- 10 *Parti opponens, nisi intra tempus octo dierum manifestam offensam probet, ad expensis factis condemnata est.*
- 11 *Excommunicatus absolutionem ad cautelam petens, causam nullitatis sententiae explicare, eamque simpliciter saltem probare tenetur.*
- 12 *Absolutio ad cautelam quibus verbis faciend.*
- 13 *Absolutio ad cautelam ad quem efficitur, & finem praestatur.*
- 14 *Absolutio ad cautelam, a quo fieri potest, & debet.*
- 15 *Absolueri ad cautelam in iudex delegatus possit.*
- 16 *Absolutio ad cautelam, an per aduersarium, aut partem, impediri poterit.*
- 17 *Absolutionem ad cautelam, an iudex negare, aut impedire valeat.*
- 18 *Absolutio ad cautelam, quare extra casum manifestae offensa, nec ab aduersario, nec ab excommunicatore impediri queat.*
- 19 *Absolvens ad cautelam, quanam observare debeat.*

1 *Quia verò materia haec de absolutione ad cautelam latius patet, quam vno, aut altero corollario solum explicari possit, & multa in se contineat scilicet necessaria, quae quoad ad praxim reduci possunt, ea omnia ad vndecim quaestiones reuocabo, ut ita summam saltem materia haec tota absolui possit.*

*Primo* quidem explicando, *Quid sit absolutio ad cautelam.*

*Secundo* Quare sic dicatur.

*Tertio*, Quando, aut a quo absolutio haec inuenta & introducta sit.

*Quarto*, A quibus sententijs absolutio ista petatur.

*Quinto*, Quando fiat huiusmodi absolutio.

*Sexto*, Quomodo fieri debeat.

*Septimo*, Per quae verba fieri debeat.

*Octavo*, ad quid, seu ad quem effectum absolutio haec fiat.

*Nono*, A quo fieri debeat haec absolutio.

*Decimo*, An per aduersarium, aut partem impediri possit ista absolutio.

*Vndecimo*, Quae observanda sint in absolutione ad cautelam.

2 *Circa primum*, Quamuis DD. communiter in c. solet, de sent. excom. lib. 6. vbi Anch. num. 5. Gemm. §. in secunda, nu. 8. Franc. & Ioan. Monach. & alij, ita definiant; Quod absolutio ad cautelam sit vera, quos, seu putativa ad excommunicationem liberatio, eos res tangit prospiciens; Rectius tamen Ioan. Andr. in d. c. solet, in Nouella, & Vgolin. de cens. Eccl. Tab. 1. ca. 22. §. 1. nu. 4. & Steph. Costa Repet. in d. c. solet, nu. 44. sic definiunt, Absolutio ad cautelam est ab Ecclesiastica censura absolutio sub conditione impropria tributa, vbi a censura valeat, ob periculum quod inesse potest, dubitatur. Quia definitione comprehenditur absolutio tam ab excommunicatione, quam a suspensione & interdicto duammodo tamen tale interdictum, sit particulare, & non generale, ut habetur in c. presenti, de sent. excom. lib. 6. & ex his quae inferius dicemus, manifestum erit. In eo autem quod dicitur sub conditione, vbi a censura valeat, dubitatur, distinguitur ab absolutione simplici, vbi enim certo constat sententiam valere, simplex absolutio datur; vbi vero censuram irritam certo constat nullam esse, absolutio nulla requiritur; vbi autem censura valeat, nec ne, dubitatur, absolutio ad cautelam, & proinde sub conditione, tribuitur.

*Ad secundam verum dubium*, quare nimirum absolutio ad cautelam appellatur, ex dictis constat, quia per eam cautum est, providere circa futura contingentia, tam respectu illius qui eam petit; quia si habet scrupulum conscientiae, quod sit excommunicatus, prouidetur sibi per eam, ita ut sine peccato aut irregularitate, diuina, & humana, sicut prius pertractet; quam etiam respectu aliorum; quandoquidem absolutione hac obiecta, poterunt alij sine periculo tam in iudicio, quam extra iudicium, tam in profanis, quam in diuinis cum illo communicare.

*Quod Tertium* communiter affirmant DD. in d. cap. Solet, nihil de hac re per antiquam ius dispositum fuisse, sed solum iure nouo introductam esse absolutionem hanc quae ad cautelam appellatur, de hac enim loquitur Gregorius X. in c. presenti, de sent. excom. lib. 6. & ante eum Innocentius IV. in c. venerabilibus, eo. tit. & libro. & ante hos Gregorius IX. in cap. apostolica, de exceptio. & ante illum Honorius III. in cap. Venerabili, de sent. excom. n. & ante hunc Innocentius III. in c. veniens, 2. in fine. de testib. & attest. in cap. Per tuas, de sent. excom. & ante hos omnes Clemens III. qui ut ait Ioan. Andr. putatur esse primus, qui expressit hoc verbum, *Ad cautelam* in cap. cum desideres, de sent. excom. Quamuis forsitan secundum eum, haberi potuerit eius effectus, tempore Alexandri III. ut colligi potest ex cap. Ad presentiam, de appellat. & not. ibi.

*Circa quartum*, Primo dicendum est dari posse in omnibus censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, excepto interdicto loci generali, ut docent Anch. in c. Soter, nu. 5. Gemm. ibidem, §. in secunda, numer. 11. Philip. Franc. ibidem, vers. Quarto, & Steph. Costa, num.

42. de ſent. excomm. n. lib. 6. & Doctores communiter. Et de excoicatione habetur in d. c. Solet, & in cap. Venerabilibus, de ſent. excomm. lib. 6. & in cap. Per tuas, eod. tit. de antiq. & alibi ſepe. De ſuſpenſione idem habetur in cap. Venerabili, de ſent. excomm. & in c. Apoſtolice, de except. De interdicto colligitur ex c. præſenti, de ſentent. excomm. lib. 6. vbi Gregorius X. ſolum prohibet, ne generale interdictum Locorum, ſcilicet Caſtorum, Ciuitatum, aut aliorum Locorum, puta Regnorum, Prouinciarum, Comitatum, Barontarum, & ad cautelam relaxetur; ergo ſecus vbi in homines latum eſſet; vnde ſi in Vniuerſitatem, aut in Collegium hominum interdictum latum ſit, ad cautelam abſolui poterit, vt tradunt glo. in d. cap. præſenti, in verbo, Generaliter, cum annot. & ad lit. ibidem, Ioan. Andr. Ioan. Monach. Gemin. Anch. Franc. & Steph. Coſta, nu. 5. & 11. de ſent. excomm. n. lib. 6. Aliud enim eſt interdicere Ciuitatem vel Locum, quam interdicere perſonas, puta Vniuerſitatem, vel Collegium, Pari ratione, vbi interdictum eſt ſpeciale, vtputa, quia eſſet promulgatum contra aliquam Eccleſiam, vel aliquas Eccleſias particulares, (quicquid dicit Archid. in contrarium) bene tamẽ in eo caſu peti, & dari poteſt relaxatio ad cautelam, vt DD. communiter tradunt Ioan. Andr. & Ioan. Monach. Gemin. Anch. Franc. & Steph. Coſta, in d. c. præſenti, & ibi glo. in verbo, Generaliter, & Ioſ. Calderin. in ſuo tract. in ſecundo membro, verſ. Sed quæro, ſecundum Petrum, Vgol. de cenſur. Eccleſ. Tab. 1. cap. 22. §. 1. nume. 11. & Rota decil. 452. in antiq. quæ in nouis eſt decil. 9. incip. Item fuit dubitatum, vtrum interdictum poſitum, de ſentent. excomm. vbi dicitur ita ſeruari in palatio Apoſtolico. Rationes varias dat glo. in cap. præſenti, in verbo, declaramus, de ſent. excomm. lib. 6. quare relaxatio ad cautelam concedi non debet in generali interdicto loci, ſicut in excommunicatione, aut interdicto particularis perſonæ, aut Eccleſiæ; quia ſcilicet non eſt tantum periculum in generali interdicto loci, ac in ſiſtis ſiquidem tempore generalis interdicti, & diuina fieri poſſunt voce ſubmiſſa, & Sacramenta magis neceſſaria miniſtrari, vt habetur in c. Alma mater, de ſent. excomm. n. lib. 6. quorum neutrum fieri poſſit, vbi quis in particulari interdicto ſubijcitur, argum. c. ſi ſententia, de ſent. excomm. n. lib. 6. aut vbi locus, aut Eccleſia particularis interdicitur, arg. c. Iſ qui, §. is verò, eod. tit. & lib. Hinc Ioan. Andr. & Steph. Coſta, in d. c. præſenti, de ſent. excomm. n. lib. 6. docent, dictam Decretalem capitul. præſenti, locum habere in interdicto loci ſpecialis, quando illud interdictum ſit generale, vt ſi Villa vel Caſtrum ſint interdicta, etiamſi vnica, vel nulla eſſet ibi Eccleſia, interdictum dicitur generale, vt in c. cum in partibus, de verb. ſignifi. quo caſu Innocentius III. ait, locum eſſe pœnis interdicti generalis. E contra, vero, ſi interdicta Eccleſiarum non ſunt generalia quoad effectum generalis interdicti, etiamſi interdicerentur omnes Eccleſiæ Ciuitatis, vel Prouincias, vtputa ſi propter decimas non ſolutas, vel propter procuraciones Legatorum, non cenſentur effectum generalis interdicti fortiri, & conſequenter in illis tunc non erit locus diſpoſitioni cap. alma mater, in §. adijcimus, de ſent. excomm. n. lib. 6. vt ibi notat gl. in verbo, Eccleſijs: quia nec in diebus ſolemnibus tunc poſſet celebrari, etiam ſubmiſſa voce in talib. Eccleſijs interdictis. Ex quo inferitur, quod extra illas eccleſias, etiam in loco illo celebrari poſſet, etiam alta voce ſub tentorio, vel aliqua alia eccleſia non interdicta, nec tunc eſſet locus denegationi ſepulturæ hominibus illius loci, ſaluo tamen eo quod habetur in cap. ſi ciuitas, de ſentent. excomm. n. libro 6. Item, & tunc non eſſet locus denegationi aliorum Sacramentorum, & diuinorum officiorum, quæ niſi permiſſa reperiantur, dicuntur prohibita tempore generalis interdicti, c. alma mater, poſt principium, de ſent. excomm. lib. 6.

7. Secundo dicendum eſt, abſolutionem hanc ad cautelam peti poſſe, & dari debere ab omnibus cenſuris, eo modo quo diximus, ſiue cenſuræ ſint late ab homine, ſiue à iure, quando eſt probabile dubium iuris, aut facti. Dubium autem facti eſt, quando dubitatur an id factum ſit, quæ-

obtem cenſura fertur, & hoc tam reſpectu eius, qui fert cenſuram, quam eius, qui cenſura percellitur; vt ſi iudex comminatur Petro excommunicationem niſi infra octo dies ſatisfaciat, & Petrus iſta hoc tempus non ſatisfecerit, dubium eſt, an Petrum excommuni. auerit; Aut ſi Clericum me aggredientem percuſſi, dubium eſt, poteſt, an deſenſo me terminos inculpate tutelæ exceſſerim, & proinde an excommunicationem incurrerim; Dubium verò iuris eſt, vbi certum eſt latam eſſe cenſuram, ſed dubitatur, an iure valeat, vt ſi dubitetur, an excommunicatione lata ſit poſt appellationem, nec ne, & excommunicatus poſt appellationem, excommunicatus verò ante appellationem latam eſſe velint; Item, dubium iuris eſt, quando pro certo neſcitur, in aliquo caſu quid ius voluerit, vt v. g. excommunicatus, qui excommunicatus manifeſtos ſepelit, Clemen. eos, de ſepult. & tamen neſcitur, an ſepelire dicatur, qui mortuum fert ad ſepulturam, aut cum ad ſepulturam comitatur, non tamen ipſum ſepelit. De qua re glo. ſibi, in verbo, ſepelire. Item dubium iuris eſt, quando quis in legem commiſit, quæ cenſuram inferret, ſed dubitat delinquens an in eam incidit, eo quod probabilem ignorantiam legis habuerit, in vtroque dubio tam iuris, quam facti, abſolutio ad cautelam peti, & dari poteſt, ex Anchar. in c. Solet, nu. 5. & Gemin. ibi, §. in ſecunda, nu. 11. Franc. & Steph. Coſta, nu. 27. & num. 49. de ſentent. excomm. n. lib. 6. Nauar. in Man. c. 27. nu. 277. & 278. Vgol. de cenſ. Eccleſ. Tab. 1. cap. 22. §. 1. num. 9. eſt communis DD.

8. Quoad quintum, Quamuis nonnulli exiſtimant, in duobus tantum caſibus expreſſis in c. Solet, & in c. Venerabilibus, §. poteſt quoque, de ſent. excomm. n. lib. 6. abſolutionem hanc tribuendam eſſe, ſcilicet, quando quis pretendit excommunicationem latam poſt appellationem, vel cum aſſerit ſententiam illam errore cenſuram conſtituiſſe; verior tamen & communior opinio eſt, abſolutionem ad cautelam locum habere, non ſolum in illis duobus caſibus nullitatis, ſed etiam generaliter ex quacunque cauſa ipſius ſententiæ nullitas allegetur, puta, quia lata fuit a iudice incompetenti, non habente iuriſdictionem; vel quia lata fuit contra exemptum, dummodo fiat aliqua fides, & ſemiplena ſaltem probatio de exemptione; cum enim O. dinarius pro ſe habeat ius commune, niſi abſolutionem petens ſe exemptum ſaltem ſemiplene probet, nõ audietur, ne Iudicio ordinario, cuiusque Iuriſdictioni illuſio paſſim fiat. Semiplene autem probata nullitate ſententiæ, abſolui debet non ſolum in illis duobus caſibus, ſed etiam vbiunque, aut ex quacunque cauſa ſententiæ ipſius nullitas allegetur. Sic Innocent. in c. venerabili, num. 5. de Cenſib. & in cap. Solet, num. 2. in verbo, vllam, & num. 3. in verbo, pro manifeſta, & in verbo contradictionis, de ſent. excomm. n. lib. 6. Anchar. in d. c. Solet, nu. 1. verſ. Secundo not. Gemin. ibidem. in princip. num. 6. & in §. in ſecunda, nu. 12. & Franc. & ibidem. in princip. & in verſ. Quinto querit, & Stephan. Coſta in princip. num. 27. & §. in ſecunda, num. 61. & num. 50. de ſent. excomm. n. lib. 6. Panorm. in c. Apoſtolice, num. 10. & ibi Felin. num. 22. de except. Puteus lib. 2. dec. 96. Couar. in c. Alma mater part. 1. §. 1. num. 7. verſ. Primum, de ſentent. excomm. n. lib. 6. Vgol. de cenſur. Eccleſ. Tab. 1. cap. 22. §. 1. nu. 9. & num. 13. nam eadem eſt ratio, vbiunque pretenditur nullitas, quæ verſatur in dictis duobus caſibus, vnde, in d. cap. Solet, & d. cap. Venerabilibus, §. poteſt quoque, de ſent. excomm. n. lib. 6. & in c. per tuas, tit. eod. in antiq. & in c. cum contingat, de offic. deleg. illi duo caſus ſolum exempli gratia ponuntur; quæ verò exempli cauſa dicuntur, rem declarant, non tamen regulam reſtringunt, vt recte Panor. vbi ſupra notauit; Poſiti autem ſunt hi duo caſus, vt pote, quia frequentius contingit nullitatem ex vna harum cauſarum allegari: quia vero eadem eſt ratio ex quacunque cauſa nullitas allegetur, idem etiam ius erit. Ratio enim, quare abſolutio ad cautelam concedatur eſt, vt qui illam peti, turd. & cum bona conſcientia, & ſine aliquo ſcrupulo, diuini, & humanis immiſcere ſe poſſit; quæ ratio cum æque militet ex quacunque cauſa nullitas allegetur, in omnibus conſequenter procedet.

9 *Ad sextum* verò Dubium, quomodo fieri debeat huiusmodi absolutio: Dicunt Doctores, quod debet fieri vocato illo, ad cuius instantiam excommunicatio ipsa lata fuit, vel vocato ipso Iudice proferente, si fuit lata ex officio ipsius Iudicis, de quo in c. venerabilibus, §. 1. & 2. de sent. excom. lib. 6. Quod si Iudex, aut is cuius gratia excommunicatio lata est, pro manifesta offensa excommunicatio non lata fuisse dicat, primo iurare debet, quod non opponit eam animo calumniandi, arg. cap. 1. & 2. de iuramento calumnie, lib. 6. Secundum Ioan. And. & Gemin. in cap. solet, nu. 14. & ibi Steph. Cost. num. 14. & §. in secunda, nu. 52. de sent. excom. Secundo probare debet huiusmodi offensam non simpliciter, sed offensam manifestam fuisse, ex Innoc. in d. c. solet, in verbo, octo dierum. Gem. ibidem, nu. 12. Anchar. nu. 4. Steph. Costa num. 14. Illa autē dicitur manifesta offensa, quæ constat per confessionem partis, vel per euentiam rei, arg. c. ex parte, 1. de verb. signific. in c. cap. cum olim tit. eod. & cap. Quia fronte, de appell. Innoc. in d. c. solet, num. 11. Anchar. ibidem, ver. De vndecimo, Gemin. §. in secunda, num. 20. Steph. Costa, ibi, in princip. num. 15. Tertio probare debet opponens offensam manifestam infra octo dierum spatium; ipsi autem octo dies currunt, & incipiunt a die obiectionis manifeste offensa, numerando ipsum diem obiectionis & ita deinceps a momento ad momentum, ex Gemin. in d. cap. solet, num. 14. Steph. Costa ibi, nu. 14. Rota, in nouis, dec. 208. quæ incipit, item quod terminus. Felin. in cap. Apostolica, nu. 17. de except. Couarr. in cap. alma mater, par. 1. §. 12. num. 8. versic. Tertio considerandum est, de sent. excom. lib. 6. Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 1. cap. 22. §. 1. num. 13.

10 *Quod* si intra hoc tempus opponens manifestam offensam non probauerit, ad expensas factas praestandas condemnabitur, arg. c. 1. de except. lib. 6. & excommunicatus absoluetur, si verò eam probauerit non absoluetur excommunicatus nisi prius realem satisfactionem praestiterit, vt habetur in c. Solet. & ibi Anchar. num. 5. Gemin. nu. 16. & §. in secunda, nu. 18. Steph. Costa, nu. 15. de sent. excom. lib. 6. Felin. in cap. Apostolica, num. 9. Couarr. & Vgol. locis proxime allatis. Et quæ diximus de manifesta offensa, et in manifesta contumacia locum habent; nam non prius absoluetur, quam impensas factas restituerit, & cautionem de stando iuri praestiterit, vt habetur in c. venerabilibus. §. secus autem, de sent. excom. lib. 6. Sicut nec quando dubia est offensa nisi prauiua cautione absoluetur. Si verò non opponant de manifesta offensa, fiet absolutio, qua tamen non obstante postea plenius discutitur iuris ordine seruato, an iste fuerit legitimè excommunicatus, nec ne, & sic trahitur de veritate causae ipsius excommunicationis.

11 *Contra* verò ex parte ipsius excommunicati qui absolutio ad cautelam petit, requiritur, vt in specie exponat causam, propter quam nullitatem sententiae allegat, & eam saltem semiplene probet: Cum enim pro sententia censurae praesumatur, argumen. cap. ad reprimendam, de offic. ordin. & vt notant Innocent. in cap. Bonz. 1. in verbo praesumitur, de elect. Rota eod. tit. dec. 129. & Gemin. in cap. 1. numero 9. de appellat. lib. 6. nec absolutio hac ad cautelam temere concedenda est, praemitti omnino debet aliqua cognitio, & semiplena probatio causae illius, quæ ab excommunicato allegatur, vt nulla sit excommunicatio; praesertim, vbi dicitur, excommunicatione lata fuisse post legitimam appellationem; Nec sufficit ad effectum absolutionis ad cautelam, quod vnus testis testimonio probetur, appellationem praecessisse ipsam excommunicationem, nec satis est iuramentum ipsius appellantis, nisi eo casu, quo Iudex excommunicator dicat, se non credere appellationem praecessisse excommunicationem, & tamen paratum esse dare absolutionem, si ita fit quod post appellationem excommunicauerit, vt notant Felin. in cap. Apostolica, numero 19. de except. Aegid. a Bellameta, dec. 91. & 386. quos refert, ac sequitur Couarr. in cap. Alma mater, par. 1. §. 12. num. 7. versic. Primum, de sentent. excommunic. lib. 6. Immo verò, cū absolute verum non sit, sententiam esse nullam, ex eo

quod appellatio sententiam praecesserit, nisi etiam appellatio interposita sit ex legitima causa, & quod illa causa vera sit, ideo ad obtinendam absolutionem ad cautelam, non solum probare debet appellasse se ante sententiam, sed etiam appellationem ex causa legitima, & vera interpositam fuisse, qua semiplene saltem probata, tunc absolutio fiet ad cautelam, cum cautione tamen de satisfaciendo, si in processu apparebit sententiam iustam fuisse, vt rectè Steph. Costa, in d. cap. Solet, num. 11. de sent. excom. lib. 6. annotauit: Quæ omnia ea ratione confirmari possunt, quia si simpliciter nullitate proposita censurae absolutio vniciue petenti concederetur, & Iudex, & censura Ecclesiastica, vt plurimum illuderentur, quod fieri non debet, cap. cum inter, de consuetud. & Clem. 1. de sent. excom. omnes enim censura innodati, statim sententiae nullitatem allegarent; & proinde merito nullitatis causa, vt ante absolutionem saltem semiplene probetur statutum, & vsu obtentum & conseruatum est. Vnde Innocent. in d. cap. Solet, in iudicijs non prodesse veritatem affirmavit hoc est non prodesse, vt ita sit, nisi talis veritas probetur, vt in cap. cum super, & cap. suborta, de sent. & re iudic. quamuis secus sit in foro animae, vt in cap. significasti, de homicid. & cap. Tua nos, de sponsal. nam in eo foro absoluitur, etiam si veritatem probare nequeat, ex Innoc. in d. cap. Solet, in verbo, contradictionis, nu. 3. & Steph. Costa ibidem, nu. 12. de sent. excom. lib. 6. Vgol. cit. nu. 13.

12 *Ad septimum dubium*, Respondetur iuxta cap. venerabilibus, de sentent. excom. vtendum esse hoc verbo, *Relaxo*, aut etiam verbo, *Absoluo*, nam cap. ad praesentiam, de appellat. & capit. veniens, 2. de testib. & cap. Apostolica, de except. vtuntur hoc verbo, *Absoluo* cum ergo intra indifferenter loqui videantur, poterit iudex vti eo verbo, quo voluerit, vt testatur Steph. Costa, in c. Solet, num. 53. de sent. excom. lib. 6.

13 *Ad octauum*, communiter dicunt auctores fieri ad maiorem animae tranquillitatem, quia cum dubium sit, an verè sit excommunicatus, & proinde dubiter, an a Sacramentorum perceptione, & fidelium communione, abstinendum sit, nec ne; facta tali absolutione, sine aliqua dubitatione, omnia tam diuina, quam humana, sicut prius, liberè exequi potest.

14 *Ad nonum*, dicendum est, Quod vel dubium est, an in censuram iuris incidit, & in hoc casu, qui simpliciter absolueri potest a censura iuris, vbi constat incidisse in censuram etiam absolueri potest ad cautelam, & ita ordinarius absolueri potest, arg. c. Nuper, de sent. excom. Vel dubium est, an in censuram ab homine latam incidit & tunc ipsemet excommunicator absoluet, si voluerit, vel superior excommunicatoris, quando causa per legitimam appellationem ad eum deducitur ex glos. in c. Solet, in verbo, per superiorem, & ibi Gemin. nu. 16. & Steph. Costa, nu. 6. & nu. 55. de sent. excom. lib. 6. Hostiens. Ioan. And. & alij, in cap. per tuas, de sent. excom. Couarr. in cap. alma mater, par. 1. §. 12. num. 8. de sentent. excommunicat. lib. 6.

15 *Quoad delegatum* verò Iudicem dubium est inter DD. an absolueri possit ad cautelam; In qua re glos. in c. Solet, in verbo per superiorem, & ibi Innoc. & Gemin. num. 15. Ioan. And. Domin. Franc. Steph. Costa, n. 55. de sent. excom. lib. 6. Decius in c. praeterea, de offic. deleg. num. 6. & ibi Felin. colum. penult. & idem Felin. in cap. causam quæ num. 6. & in cap. cum dilecta, colum. 10. de rescript. Oldrad. cons. 145. dicunt non posse, nisi in vno casu, scilicet, ad effectum dicendi testimonium, argum. cap. veniens, 2. in fine, de testib. maximè, vbi res non ita bene per alios testes probari posset, argum. tex. in c. praeterea, de offic. delegat. & Ioan. Monach. in d. cap. Solet, de sentent. excommunicat. lib. 6. vel nisi sit illi specialiter a iure concessum; vel ex speciali commissione superioris hoc obtinuerit ad hoc vt commodius partes causam tractare possint. Ratio est: quia hæc absolutio extraordinaria est, & ex gratia permisa; delegatus autem iudex id solum potest, quod ei speciatim permillum est. Contrariam verò sententiam tenet Archid. in d. c. Solet, & Bernard.

nard. vt refert glo. vbi supra, & Anchar. ibi, & Panorm. in cap. ad præsentiam, num. 3. & ibidem Decius, de appellat. & Nauar. in Manuali, cap. 27. nu. 278. Couarruias autem in cap. Alma mater, par. 1. §. 12. num. 8. versic. Iudex verò, de sent. excom. lib. 6. ait primam opinionem esse communem, & tandem vtramque opinionem concordans, ait, Delegatos Apostolicos, qui delegantur ad cognoscendas causas extra Curiam, habere hanc facultatem absoluendi ad cautelam; & sic praxi recepta est hæc secunda opinio in istis; Delegatos vero ad causas cognoscendas in Curia, non habere hanc facultatem nisi ex speciali eorum missione, vt vsus & praxis habet, & tradit Rota, Decis. 810. in antiq. & sic vera est prior opinio.

16 Circa decimum, certum est aduersarium, seu partem impedire non posse, quo minus excommunicatus ad cautelam absoluat, excepto vno casu, scilicet, vbi opponit eum pro manifesta offensa fuisse excommunicatum; in quo casu, si probare eam poterit infra octo dierum spatium, non absoluetur, nisi prius realem satisfactionem præmiserit; sin autem eam aduersarius intra octo dies numerandos ob ipso die quo Iudex recepit objectionem manifestæ offensa, non probauerit, absolui debet. Et quod diximus de parte, dicendum etiam est de excommunicatore, vt illum impedire non possit, nisi in casu manifestæ offensa, & eo solum modo, quo aduersarius, vt diximus, & colligitur euidenter ex d. c. Solet, §. in prima igitur dubitatione, & ibi Stephan. Costa, numero 57. de sentent. excom. lib. 6.

17 De Iudice verò superiore dissentiant inter se DD. Si quidem, Innocen. in d. c. Solet, num. 7. Ioan. Andr. Philip. Franc. & Gemin. ibi, §. in Secunda, & Anchar. eod. num. 2. & Stephan. Costa, numer. 18. & num. 56. de sentent. excommunic. lib. 6. affirmant, in iudicis arbitrio, & potestate esse, an eam concedere, vel denegare velit ex aliquibus causis, vel coniecturis; Ratio est: quia de iure, antequam quis absoluat, de causa veritate constare deberet, arg. cum contingat, de offic. deleg. cum ergo hæc gratia inducta sit contra iuris istius rationem, non erit extendenda, arg. l. Quod non ratione, ff. de leg. Adde, quod in ca. venerabilibus, §. Sed si ex causa, & §. potest quoque, de sent. excom. lib. 6. vicit Pontifex, hoc verbo (Potest) non verbo (Debet) significans absolutionem hanc fieri de gratia, & non de necessitate.

Alij tamen, vt Bernard. quem sequitur Vgolin. de censur. Eccles. Tab. 1. cap. 22. §. 1. num. 15. existimant iudicem eam negare non posse, id quod colligunt ex d. cap. Solet, in consultatione, iuncta responsione, dum queritur, An sine contradictionis obstaculo minus ei debeat absolutionis impendi? Cui consultationi dum Papa respondet, pro Regula ponere videtur, quod petenti absolutio non negetur. Et certe, licet hæc secunda mitior sit, verior tamē mihi videtur, vt est communior, prior opinio, illique standum esse, illa ratione: quia cum Innocentius IV. hanc Constitutionem ediderit, & in glossa sua exprimat hanc fuisse intentionem suam, illi standum videtur. Nec obstat ratio in contrarium ex textu deducta, cum enim dicitur, quod absolutio non negetur, id est, negari non potest, hoc verum est ad instantiam excommunicatoris, vel aduersarii, quod ipsi impedire non possint quo minus fiat, & ita probat litera ibi in versiculo, *Quamuis in hoc excommunicator, sin verò habeatur consideratio quoad superiorem, vel officium superioris, poterit ipse hanc absolutionem præstare, & si voluerit, poterit denegare ex iustis causis & motiuis, vt diximus argum. cap. præterea, & cap. in nostra, de testib. & attestat. & fauet gl. in c. Solet, in verbo, contradictionis, de sent. excom. lib. 6.*

18 Ideo autem Pōtifex optimo consilio, & ratione statuisse videtur, ne excommunicator, aut aduersarius absolutionem hanc, extra casum manifestæ offensa, impediunt possent, quia verisimile non est, qui excommunicauit, ne factum suum improbet, & nullum esse asserat, absolutionem hanc tributurum esse, sed contra potius, ne ipsa tribuatur, elaboraturum, id quod etiam de aduersario iudicandum est, cum sua plurimum interfit, ne alter absoluat; cum tamen longe dispat & diuersa ratio in Iudice

fit; ex quo enim nihil sua interest, existimandum non erat ipsum eam denegaturum, nisi ex iustissima causa, vt qui equitatem ob oculos semper habere debeat, & salutari marum semper consulere censetur.

19 Circa vndecimum, Quæ scilicet seruanda sint in hac absolutione prestanda, habentur in ca. Solet, de sentent. excommunic. lib. 6. vbi in foro exteriori cauetur, vt citetur prius aduersarius, & audiatur, quid opponere possit, quo minus absolui debeat excommunicatione. Si verò Sacerdos absoluturus sit aliquem ab excommunicatione, ex commissione superioris, siue per literas fiat illi commissio, siue verbo, vt communiter fieri solent commissiones per literas Pœnitentiarij, & sapissimè etiam Prælati mittunt absoluedos ad Sacerdotes; (& idem quando committitur per Bullam, aut Iubilæum) si in his fiat commissio absoluedi solum in foro interiori, & conscientie, non debet vti forma cap. Solet, quia huic foro non congruit citatio partis, sed satis est, vt absoluedus simpliciter promittat se satisfacturum debito, aut offensa, si probabitur excommunicatus; & absoluede debet absque testibus, Notario, vel alia solemnitate fori exterioris; si verò committatur ei a Iudice fori exterioris, vt in vtroque foro ad cautelam absoluat, tunc quidem omnia partium citatione, & prætermissa exceptione aduersarij, præmissa tamen iuris cautione, coram Notario, & testibus, vel saltem coram testibus absoluede debet; & tam literæ commissorie, quam fides absolutionis factæ in acta publica à Notario, aut testibus referri debet, vt sic absolutus alijs suâ, si opus fuerit, absolutionem probare possit, que non præsumitur, nisi probetur, capit. Sicut nobis, de sentent. excommunic. & glo. in cap. Proposuit, in verbo, de absolutione, de Cleric. excommunicat. ministra. Nauarr. in Manuali, capitul. 27. numero 278. & tomo 2. Consil. Consil. 26. de sentent. excommunicatio. Henriquez libro 13. de excommunicatio. capit. 29. §. 5. & de absolutione ad cautelam hæc sint factis.

### Absolutio ab excommunicatione maiori, qualiter legitimè conferatur, & quibus præmissis. Cap. XVIII.

#### S V M M A R I V M.

- 1 Absoluens ab excommunicatione maiori, quænam seruare debeat.
- 2 Excommunicatus maiori, ante absolutionem, cautionem saltem iuratoriæ de parendo mādatis ecclesiæ dare debet.
- 3 Iuramentum a pueris propter ætatis infirmitatem exigere non debet.
- 4 Absoluedus an mādatis ecclesiæ, vel iudicis absoluedis parere teneatur.
- 5 Absolutio ab excommunicatione maiori, etiam non adhibito iuramento, data valet.
- 6 Excommunicatus ob manifestam offensam, ante realem satisfactionem exhibitam, absoluedus non est.
- 7 Excommunicatus pro manifesta offensa quis censendus.
- 8 Satisfactio quænam, & cui facienda est a percussore monachorum, & religiosorum.
- 9 Clericum secularem percutiens, eidem, non ecclesiæ satisfacere debet.
- 10 Satisfactio ab excommunicato absoluedo fieri debet, sine absolutio ab excommunicatore, siue a confessore petatur.
- 11 Absolutio ab excommunicatione maiori, quibus in casibus sine reali satisfactione præmissa fieri possit.
- 12 Articulo mortis urgente, non præstita satisfactione reali, excommunicatus absolui poterit.